DISCURSUS JURIS PUBLICI TERTIUS

De

ELECTORIBUS ROMANO-GERMANICI IMPERII ECCLESIASTICIS ET SECULARIBUS.

Quem

D. T. O. M. A.

Conſentiente Ampliſsimo JCtorum in alma Salana Collegio

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO BEINDORFFIO, WANTZLEBIENSI Magdeburgico.

Dn. ſuis Collegis examinandum proponit

GEORGIUS WOLFF Badenâ Marchicus.

Ad diem 29. Junii, horis locoq; conſuetis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ.

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO M. DC. XIX.

Theſis I.

OMnium maximam, poſt ſupremum hujus mundi Monarcham poteſtatem & præeminentiam quin Romanæ Curiæ Principes Electores habeant, minimè ambigitur. Idque jure; cum ſuis conſiliis & laborib. pro toto terrarum orbe die noctuq; laborent, quare non habeant dignam ſuâ prærogativâ fortunam *l. bene in fin. C. de quadr. præſcript.* His namq; abſentibus nec dignitas Imperatoria defendi, nec ipſum Imperium conſiſtere potis eſt. *tit. 24. Aur. Bull.*

2. Atteſtantur hoc omnia Imperii membra & ingenuè fatentur hinc inde in Receſſibus Imperii Romanam Majeſtatem ſemper horum conſilio fideli ſartam tectamque in primis contra quorundam exterorum Principum rabiem fuiſſe conſervatam. *Conſultiſſ. Dn. Cluten. in ſyllog. Rerum quotid. Buxtorph. ad Aur. Bull. Althuſ. pol. c. 18.* Circumſpice in hoc orbe Chriſtiano; Intuere Regna, Imperia, & politias, nullas ſine Procerum conſilio diu ſtetiſſe aut adhuc ſtare poſſe, deprehendes. Sic oculos converte in hunc præſentem noſtrum Imperii ſtatum, nonne is Conſiliis, quæ Cæſar cum Proceribus inire conſuevit, ceu columnæ unicè innititur? Si malum Reipubl. Roman. imminet, ecce ſalutari hoc remedio maturè ſuccurritur.

3. Hoc mecum ego ruminans, ſuperiorumq; authoritate admonitus, horum conſiderationem inſtituere cœpi, non quidem plenius pro dignitate, ſed quantum ingenii vires permittunt; dicturus de Electorum tùm origine tùm Poteſtate quam exercent partim in Electione, partim extra eam, pauca etiam de eorundem privilegiis annecturus.

4. Ut autem gradatim deſcendamus, nominis cõtemplationem ut antea, ita & hic præmittimus. Nuncupantur ergò Electores ab eligendo Rege vel Cæſare Romanor. *tit 2. c. 4. de Elect. Regn. Rom. Aur. Bull. Geil. lib. 1. obſ. 21. c. venerabilem extra. de elect.* Et quamvis aliàs omnem jurisdictionem ab ipſo Imperatore habeant, attamẽ eligendi poteſtas penes illos ſolos reſidet. *Geil. d. l.* Sic dicuntur Churfürſten à Chüren/ quod idem eſt quaſi eligere.

5. Propriè ergò & uſitatè ſoli hi honorifico hoc Elogio inſigniuntur, ꝙ nimir. Regem Romanorum in Imperatorem eligentes, *Geil. d. l. tit. 1. Aur. Bull.* corpori politico caput conſtituant. Cæteri non niſi abuſivè & impropriè tales nominantur, magiſtratum aliquem ſuperiorem deligentes *Loſæus de jure univerſ. part. 1. c. 3.*

6. Tantoperè ut in præcedentibus dictum cum præfulgeant jure meritoq; elegantiſſimis honorantur titulis. Vocantur columnæ & baſes Imperii Germanici. *Conſtit. Carol. IV.* pars corporis Cæſaris *c. 24.* Artus, latera & membra Imperii *c. 26. Aur. Bull* ab auxilio & conſilio. Horum enim præſidio dextera Imperialis potentiæ corroboratur, *Heig. part. 1. q. 3 n. 2.*

7. Hinc Regibus comparantur *Heig. part. 1. quæſt. 4.* Etenim ſi Cardinal. Rom. Pontif. ob eminentiam & gradus dignitatem & amplitudinem Regibus comparantur, cur non potius ordini tàm Illuſtri Regalis prærogativa aſcriberetur, quos tamen in Curiæ celebratione præcedunt. *tit. 6. Aur. Bull.*

8. Sic quemadmodum in veteri Romana Republ. ſtatus diſtinguebantur, *Kirchner de Repub diſp. 12. th. 1.* ac certi dignitatum fuêre ordines, Maximi videlicet, ut ſuper Illuſtres Magni; ut Illuſtres, Medii; ut ſpectabiles, Minimi; ut Clariſſimi. *Nov. 23. c. 1. 2. 3. 4. l. 2. C. ut dignit. ordo ſervetur.* Ita moderni Romanæ Reipub. antiſtites Reverendiſſimi, Sereniſſimi, Illuſtriſſimi, à cæteris Imperii Ordinibus diſcernuntur, nec immeritò, quia aliorum Principum ſortem multis paraſangis anteire videntur. *Heig. d. l.* Et hunc ordinem interturbare ſacrilegii inſtar habetur, *l. 1. C. ut dignit. ordo ſervetur.*

9. Sunt autem Electores ſtatus Imperii ab antiquo jus Eligendi Cæſarem habentes. *Geil. lib. 1. obſ. 21. n. 2. Paurmeiſt. lib. 1. de jurisdict. Imp. Rom. c. 6. n. 3.*

10. Status quin ſint, nemo ſanæ mentis dubitabit, interim tamen ob diverſam ſtatus ſignificationem variant JCti. *Paurmeiſt. in l. alleg.* ſtatus accipit pro iis, qui cum Imperatore vel eo defuncto ſoli ſtatuendi de Republ. vel jus ſeſſuræ ac ſententiæ dicendæ habent in Comitiis, vel in conventibus Imperii.

11. Andreas *Gail. lib. 1. obſ. 21. n. 2.* vocat eos, qui Imperatorem immediatè duntaxat recognoſcunt, & Cæſaris communiq; Procerum conſenſu in album ſive matriculam Imperii ſunt recepti eâ conditione & lege, ut Imperio, occurrente neceſſitate ſubſidium militare vel certum cenſum in albo denominatum penſitent. Senatores ſeu Ordines qui proprio jure unà cum Principe aliquid ſtatuere poſſunt, nominat eos *Beſold. de Jurisd. Imp. Rom.*

12. Quod verò ab antiquo Jus eligendi Cæſarem habeant Electores, notandum, his verbis ſtatum illorum reſtringi, & ab aliis diſcriminari. *Sigiſmund. Seld. in conſilio ad Ferdinand.* Uber ihr Keyſerliche Maieſtet Wahl vnd Hochzeit. *artic. 1.* Iis ſiquidem ſolis eligendi jus competit, ut ex Aurea Bulla manifeſtum.

13. Definitionem rectè ſequitur diſtributio. Ad evitandam autem in Electione diſcordiam, & ſervandam concordiam, certi eligebantur Germaniæ Principes, utpote tres Eccleſiaſtici, & quatuor ſeculares. *Schönborn. polit. lib. 5. cap. 6.*

14. Eccleſiaſtici ſunt Epiſcopus Moguntinenſis Imperii Archicancellarius per Germaniam. Epiſcopus Colonienſis Archicancellarius per Italiam. Epiſcopus Trevirenſis Archicancellarius per Galliam & Regnum Arelatenſe, Galliæ, Belgicæ Primas. *Paurmeiſter l. 2. de Jurisd. Imp. c. 1.*

15. Seculares non minus ſedulò & gnaviter Cæſari inſervientes, ſunt 1 Rex Bohemiæ, S. Rom. Imp. Archipincerna. 2. Comes Palatinus Rheni, S. Rom. Imp. Archidapifer. 3. Dux Saxoniæ S. Rom. Imp. Archimarſcallus. 4. Marchio Brandenburgenſis, S. R. Imperii Archicamerarius.

16 Authorem hujus collegii attinens, licet de illo varient Politici, magno tamen conſenſu Ottoni III. Imp. Auguſtiſſimo Septemviratus conſtitutionem JCti aſſignant. *Heig. part. 1. quæſt. 3. Kirchner. de Repub. diſp. 4. Buxtorph. th. 14. ad Aur. Bull. Lancellot. in templo omnium Judic. lib. 1. §. 2. de Electorib. Tholoſan. lib. 1. de Repub.* quodq; major pars concludit, minor tenetur approbare, *l. 19. ff. de municipal.*

17. Remotis igitur aliorum authorum judiciis verìorem & certiorem opinionem apprehendere conamur, aſſeverando collegium VII. Electorum à dicto Imperatore circa annum Chriſti nongenteſimum nonageſimum quintum eſſe inſtitutum Licet non eo modo ac forma, quæ poſtea à Carolo IV. in Aurea Bulla diligentiùs & accuratiùs ordinata, & ex antiqua conſuetudine, cujus meminit *cap. venerab. de Elect.* quæ ſcripto non continebatur ullo, in monumentum legis ſcriptæ revocata fuerit.

18. Nec hoc loco quicquam loci obtinet opinio eorum, qui Electorii collegii inſtitutionem, ejuſque jus & poteſtatem Pontificis ordinationi acceptam ferunt. *Wimph. Epit. Rer. Germ. cap. 10.* Cum tamen adeò indignè hanc Imperii inſtitutionem tulerit, ut contra Imperatoriam Majeſtatem Cardinalium ſuorum collegium æmulatione & indignatione motus, inſtituerit. *Peucer in Otton. III.* Nec eſt quod in ſui patrocinium advocent Electionem Regum Romanorum ante Ottonem III. peractam, ſic deficiente Cunrado I. ſecundum alios filio Ludovicii III. Henricus I. Saxo à cunctis Principibus Francorum Alemanorum &c. An. 1419. in Regem Rom. eſt electus. *Lupold. de Babenberg. de jurib. Regni Rom. c. 2.*

19. Etenim poſito hunc aut ſimiles hujuſmodi fuiſſe electos, non tamen à VII. Electoribus, uti nunc moris eſt: ratio, quia nondú fuerunt inſtituti qui elegerunt, ſed vel à Principibus vel natu majoribus, aut populo, aut exercitu *c. legimus diſtinct. 93.*

20. Et hic ipſe modus eligendi cum fuerit communiſſimus, cùm Germanis, tùm aliis nationibus compotens, unde graviſſima propter perſonarum eligentium diſcrepantiam exorta bella; Ottoni III. Imperatori anſam præbuit ad

certos

certos hoſce VII. Alemaniæ Proceres conſtituendos, quibus ſolis jus elegendi certis legibus & fundamentis contulit. *Lupold. d. l. c. 2. in final.*

21. Cur autem ſeptem duntaxat conſtituerit, arguitur forſan aut ex numeri illius perfectione. *Cöler. de jure imper. ſect. 44.* Semper enim hicce numerus ab omnibus ſanctiſſimus & perfectiſſimus fuit habitus *Gothof. part. 1. Chron.* quo reſpexit quoque Carol. IV. in proœmio Aur. Bull. in verſ. per quos velut 7. candelabra &c. Aut quod Perſæ æquè VII. Conſiliarios in politiis ſuis conſtituebant, penes quos omnis Imperii honos, omnisque Electionis dignitas reſidebat; ſic Darius Hiſtapis filius poſt mortem Cambyſis horum ſuffragiis communibus Electus & Rex creatus eſt.

22. Unde etiamnùm ſeptenarius numerus ad ſtrictam devenit obſervantiam, uti exemplum Maximiliani I. luculenter demonſtrat, dum ſuffragii jus in electione Archiducibus Auſtriæ conferre voluit, numerum amplificandi gratia, ſed fruſtra Principes Electores tentavit. *Præſtantiſſ. Dn. Kubach in jure publ. c. 5. n. 4.*

23. Cæterum Electoribus Eccleſiaſticis velut privilegium perſonale jus hoc eſt conceſſum, ſi videlicet legitimè ad unam ex Metropolitanis ſedem ſint adſciti, poteſtate illâ fruantur uſque ad extremum vitæ ſpiritum, quo extincto, ſucceſſores eandem legitimè electi ſuſcipiunt, quamvis nondum à Pontifice Romano conſecrati, *Buxtorph. theſ. 18. ad Aur. Bull.* Capitulum enim ſi ſedes vacet, ad actum Electoralem non admittitur, quamvis aliàs omnis Juriſdictio apud idem remaneat, tamen quæ perſonæ ſpeciali lege competunt, eidem non cedunt. *Geil. lib. 1. obſ. 30. n. 3. & 10.*

24. Cum verò Antiſtites ſive Præſules Ludovici Pii ævo Imperii Principes effecti eſſent, & ſic duplici ordine Romanum Imperium decoratum conſpiceretur, haud immeritò quoque ad Electorium ἀξίωμα, tàm Clerici quàm Seculares deſignati ſunt. *Andreas Knichen comment. ad jus Saxon. cap. 1. n. 319.*

25. Veteres namque ſine Sacerdotum interventu nec quicquam felici omine expediri poſſe crediderunt. *Heig. p. 2. quæſt.*

quæſt. 4. n. 61. ac ita demùm in portu conſiſtere putarunt Imperium, ſi ex togatâ & armatâ militiâ Senatus ſecretior conſtaret. *M. Steph. d. juriſd. lib. 2. p. 1. c. 5. n. 18.* Cui conſequens eſt, magnam veterum Principum in religione fuiſſe devotionem.

26. Specialiorem demùm rationem afferri poſſe, cur in glorioſiſſimum hocce collegium ſint adſciti, arbitramur, quia ad Imperatoriam dignitatem, quod Eccleſiaſtici eſſent, evehi non poſſent; ne cauſam tamen haberent, cur Imperat. diadema ambirent, factum, ut in Electorum numerum cooptarentur. Cæteriſque, cum eſſent longè antiquiores nobilioresq;, ante lati. *Panvinius d. comit. Imp. c. 9.*

27. Pari fato in Romana Politia conjunctum Regnum cum Sacerdotio fuiſſe author eſt Bernhardus Græven in concluſ. ſuis practicis concluſ. 30. maximè igitur hic alieni ſunt, Clericum una in perſona officium ſeculare & clericale non poſſe ſuſtinere, ſentientes, propterea quod non conveniat pſalterium cum cithara.

28. Etenim notorium eſt, quod Clerici cum partes magiſtratus alicujus ſubeunt, cauſaſque cognoſcunt, tùm non ut perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed tanquam politicæ eaſdem dirimunt. Sic Electores illi Eccleſiaſtici jure Electionis gaudent, non ut ſunt Eccleſiaſtici; ſed ut Principes & officiales Imperialis curiæ, ſpecialiter inde ab Impp. inveſtiti, *Geil. lib. 1. obſ. 30. n. 6. & 4.*

29. Electores ſeculares quod attinet, notandum, quod hoc privilegium de Eligendo Imperatore non ſit perſonale, ſed hæreditarium. Mortuo enim Electore patre, primogenitus præmortui ſtatim ad actum Electoralem admittitur §. *ſtatuimus. tit. 7. Aur. Bull.*

30. Natus etiam parente nondum Electore; Jus enim hoc ſucceßionis æſtimandum eſt, non ex dignitatis adeptæ tempore; ſed nativitatis prioritate *Hottom. quæſt. illuſtr. quæſt. 29.* Æquè ergò hic ac ille ſecundò natus Electoris eſt filius. *l. 2. §. in filiis. 2. ff. d. curionib. l. 11. C. de dignitat. l. filii. 22. §. ſenatores. 5. ff. ad municipal. l. 5. in fin. ff. de ſenatorib.*

31. Nec

31. Nec propter ignaviam, aut alio naturæ vitio notatum ab Imperio primogenitum eſſe repellendum eleganter ſtatuit *Bodin. libr. 6. de Repub. cap. 5.* Quod tamen eatenus approbandum judicamus, quatenus ſalus & utilitas Reipub. quæ ſumma lex eſt, idipſum perferre poteſt; ſi minus Imperii Gubernacula ipſi deneganda. *Toloſanus libr. 15. de Repub. c. 1.*

32. Regulariter ergò jus primogenituræ cum præferatur, non movemur exemplo Friderici Brandeburgici. Etenim nunquam illi licuiſſet ordinem hunc ſuccedendi inſignem interturbare, niſi Johannes primogenitus, parentis ſui voluntatem maximè amplectens in diviſionem conſenſiſſet, ſe ſingulari beneficiorum genere inde affici judicans, quod ſibi otium, fratri verò juniori negotium extremâ parentis voluntate relinqueretur. *Æneas Sylvius & Chytræ. lib. 1. Chron.*

33. Adhæc, cum exemplis, quæ rem non probant, ſed probatam demùm illuſtrant, non ſit judicandum ſed legibus. *l. nemo. C. de ſentent. & interloc.* ideò eadem hîc rejicimus & reprobamus.

34. Accedit tandem quod in priori exemplo primogenitus propriâ ſponte conſenſerit, juriq; ſuo hoc pacto renunciaverit, quod nemini interdictum, *l. unicuiq; 41. ff. de minorib.* Ideoque illud ad Juris conſtitutiones neutiquam pertinebit; quod enim fit jure permittente, de eo fruſtra diſceptatur, *l. 4. C. de adult. l. 151. ff. de div. R. J.* & in his quæ à jure competunt, non eſt etiam ſuperioris alicujus authoritas neceſſaria, *l. quæ ſub conditione. 8. §. 8. ff. de condit. inſtit.*

35. Succeſſionem primogenitorum, ſequitur ſucceſſio fratrum, hinc primogenitus quamprimum ſine liberis deceſſerit, alter fratrum, nempè ſecundogenitus & ſic conſequenter ſuccedit, *tit. 7. §. ſi verò primogenitus. Aur. Bull. l. 8. ſi quis prior. C. de ſecund. nupt.* In caſu denique ubi pater Elector planè ſine liberis deceſſerit, ad proximum agnatum, familiæ, & heredis continuationem, ſereniſſima iſthæc dignitas devolvitur; modò id fiat ſub inveſtituræ renovatione, quâ nondum peractâ, ſucceſſori quamvis aliàs legitimo ad Electionem nullus relinquitur locus. *Buxtorph. ad Aur. Bull. th. 18.*

36. Nec facilè hoc jus ipſis auferendum; quod enim quis habet ex lege & non ex judicio teſtatoris; id ei per teſtatorem adimi aut interverti non poteſt. Nec diſponendi facultatem teſtator habet de iis, quæ ſunt juris publici, & ad ſtatum Imperii Romani conſervandum ſpectant.

37. Conſideratis hactenus perſonis, ad formam ſeu ipſum modum Electionis progredimur; certis prius circumſtantiis, videl. loci & temporis circa electionem neceſſariis, obſervatis.

38. Locum quod attinet, fuit hîc, hiſtoriis nobis ſuffragantibus, olim arbitrii Electorii liberi, *Schleid. lib. 7. comment.* ut plurimùm tamen in villa Reuſſen conveniebant. *Arumæus ad Aur. Bull.* Sic Hermannus Lotharingiæ Dux, Islebiæ, quæ allii ferax, electus, ac propterea contemptim Rex alliorum appellatus, quaſi in loco illegitimo idipſum fuiſſet peractum, quo etiam factum ut plurimi de hujuſmodi Electionibus tanquam illegitimis dubitârint. Veruntamen ipſe Aureæ Bullæ conditor, ſanctione quâdam poſteriori, ne videretur Electionis dignitas uni loco eſſe neceßitate incongrua aſtricta, fibulam ejus legis relaxaſſe dicitur. *Hartman. Maurit. de Coron. Carol. V.*

39. Hodiè verò ad juris obſervantiam locus eſt redactus *cap. 1. §. præterea. c. 2. cap. 28. §. invenimus. Aur. Bull.* Ut Electio peragatur in oppido Imperiali Francofurtenſi ad Mœnum Moguntinæ Diœceſis quondam à Francis & Trojanis fundato. *Petrus de Andlo lib. 2. de jurib. Regn. c. 2. Aur. Bull. tit. de elect. Regis Rom.* Nec alibi abſque vitio nullitatis peragi poteſt. *Buxtorph. ad Aur. Bull.* Cum veterum limites non temerè mutandi, nec quæ ſunt juris publici, *l. 38. ff. de pactis. l. 5. C. de legib.* Hinc rectè Ferdinandi Electionem alibi factam Saxo cum proteſtantibus impugnavit. *Schleid. lib. 7. comment.* Niſi ipſa ſanctio Carolina locum mutari jubeat, quod fit tempore peſtis, belli &c. *c. 25. §.* Wie finden wir auch. Sic Carolus curiam Vormatiæ graſſante peſte celebravit. *Receß. Imper. de Anno 1521.*

40. Tempus

40. Tempus, à quo incipienda Electio eſt quotieſcunque idipſum Reipubl. Romanæ neceßitas efflagitaverit. Accidit autem hoc caſu potiſſimùm triplici. 1. Cæſaris morte. 2. Reſignatione, & 3. ejuſdem depoſitione.

41. Imperatore mortuo Electio (ut & cæteri modi) ſtatim ad Electores Principes ſpectat, *cap. 1. in princip. Aur. B.* Facienda autem ſupputatio à tempore mortis ſcientiæ Imp. itâ ut menſis computetur pro Moguntino, cui ut intra illud temporis ſpacium convocet reliquos Coelectos, incumbit. *Buxtorph. ad A. B. theſ. 10.*

42. Ratione Reſignationis alius eligendus eſt, cum ſponte propriâ Imperator ab Imperio ſe abdicat. *cap. 4. §. cæterum. Aur. Bull.* ſicut factum legitur de Lothario I. Monaſterium ingredienti, *vid. th. 64. diſcurſ. præced.* Etenim quotieſcunque Imperium vacat, officium Electorum, ut alium eligant, requirit, ut patet eſt *ex cap. 1. in princ. Aur. Bull.* Atqui hoc caſu vacat. *Sigiſmud. Seldus* in ſeinem Bedencken an Ferdinandum. Ergò.

43. Tandem depoſitionem attinens; juris eſt manifeſti, Principp. Electores abſolutißimam de eâ in Imperio Romano habere poteſtatem; qualis enim eſt ratio conſtitutionis, talis quoque ratio erit depoſitionis ex natura contrariorum. Nec quicquam tàm naturale eſt, quàm unumquodque eodem genere vinculorum diſſolvi, quo colligatum eſt, *l. nihil. 35. ff. de R. J.* prout enim aliquid contractum eſt, ita & ſolvi debet, *l. prout. ff. de ſolut. & liber.* Quæq; conſenſu contrahuntur contrario ſenſu, (niſi divinum interceſſerit mandatum) diſſolvuuntur. *§. final. inſtit. quib. mod. toll. oblig.* Jam verò Imp. Electorum ſuffragiis & conſenſu eligitur. E. contrario viciſſim deponitur; aliusq; ſubſiſtituitur.

44. In quam pœnam olim incurrit Adolphus Imp. de Naſſau, qui homicidii, ſtupri in virginem, ſocordiæ, negligentiæ perjurii ab Electoribus inſimulatus eſt, ab ijſdem de faſtigio deturbatus; ſimiliq; authoritate paulò poſt contra Wenceslaum Bohemum, Caroli IV. filium uſi ſunt. Cum n. ille vino, ventri, Veneri dies noctesq; inſerviret, majorem gulæ, quàm Regni curam haberet, ſalutemque publicam in ex-

tremum conjiceret diſcrimen; ab Electoribus poſt crebras, ſpretas tamen monitiones imperio exutus eſt. *vid. theſ. ult. in diſc. 2.*

45. In ipſo electionis actu commodiſſimè conſiderari poſſunt 1. Finis. 2. Objectum. 3. Forma.

46. Finis eſt vel Generalis; vel Specialis. Generalis eſt, ut conſtituatur & eligatur populo Chriſtiano caput. *cap. 2. §. 2. Aur. Bull.* hoc eſt, ut Rex Romanorum eligatur in Cæſarem.

47. Specialis reſpectu ipſorum Electorum eſt, ne ſucceſſio in Imperio Romano-Germanico ſit hæreditaria, ſed arbitraria, hoc eſt, ut in futurum non per ſanguinis ſucceſſionem Imperii dignitas ducatur; Sed per Imperii Proceres Imperator eligatur, *Schard. de Elect. German. Princip. cap. 1.*

48. Etenim conſtituendi modus Imperatorem, eſt vel Immediatus, vel Mediatus: Immediatus eſt, qui immediatè fit à Deo, id quod tùm fit, quando Deus immediatè certæ alicui perſonæ magiſtratus officium committit. Quomodo duo Reges in V. T. conſtituti leguntur. Saul ſcilicet & David. Mediatus eſt, qui fit conſenſu ſubditorum, vel tacito; vel expreſſo, fitque hoc vel Succeſſione, vel liberrimâ Electione.

49. Utrumq; hunc modum in Romana viguiſſe politia, conſtat. Electio quidem, ut naturâ prior & antiquior. *Lipſius lib. 2. pol. c. 4.* ita etiam melior. *Tholoſſan lib. 7. de Repub. cap. 15.* optimum enim Electio ſemper invenit, minusque ſervilis hæc ſpecies *Tacitus l. 1. hiſt* è contra Succeſſio adverſus libertatem Imperatoris & Germaniæ nationis eſt. *Gaden. in diſcurſ. Rom. Imp.*

50. Veruntamen Succeſſione non omnimodò excluſâ, notandum ipſam reſpectivè eſſe conducibiliorem Electione; reſpectu nimirum ipſorum Principum *Kirchner. de repub. diſſ. 4.* qui longè ſecuriores per hanc viam; & pluribus velut munimentis inſiſtunt. *Lipſius d. l. n. 7.* Eſtque hic modus uſu gentium receptior; ut videre licet etiamnum in Hiſpanis & Gallis, qui ſemper à ſtirpe ſibi Regem eligunt, ſucceſſionem hoc

modo

modo Electioni præferentes. *Bodin. lib. 1. c. 3. de Republ. vid. th. 28. diſcurſ. præced.*

51. Noſtrum autem Imperium Electitium eſſe; nec unquam certæ alicui familiæ, quam diu apud noſtrates fuit vinculo non ſolubili fuiſſe alligatum, ſed liberâ electione ſemper delatum exploratum eſt. Unde pervenuſtè *Güntherus lib. 1. comment. canit.*

Nos quibus eſt melior libertas jure vetuſto
Orbe ſua quoties vacat inclyta Principe ſedes.
Quodlibet arbitrium ſtatuendi Regis habemus.

52. Magnâ interim cum Prudentiâ Germaniæ Principes ad certas reſpexerunt familias. Siquidem inde uſque à tempore Caroli M. ex quinq; potiſſimùm familiis Imper. ſunt electi. Nec facilè egrediendam anteceſſorum familiam ad alios extraneos propter honorem & benemerita illorum, niſi cauſa quædam ſuberit neceſſaria. Sic à Rudolphi Habsburgenſis poſteritate nuſquam interruptâ ſobolis ſerie, etiamnum hodiè Auſtriæ Archiduces deſcendunt, qui feliciter ultra 160. annos Imperium optimè conſervarunt. *Schleidanus libr. 1. comment. pag. 25. Beſold. libr. 2. diſp. 1. theſ. 44. in diſcurſ. præced.*

53. Nec ullum jus ipſis propterea eſt acquiſitum, quia judicium electorum, non domus dat Imperium. Illud verò pertinet ad Collegium Septemvirale integrum. *Geil. lib. 1. obſ. 21.* non ad ſingulos ſpeciatim *Buxtorph. ad Aur. Bull.* habenda proinde illorum electio, ac ſi à tota univerſitate Principum & populi, à quibus in ipſos poteſtas ea translata eſt, facta & peracta eſſet. *Paurmeiſt. lib. 2. cap. 2. de jurisd. Imp. Rom. Althuſius pol. cap. 10.* Nec exaudiendus Hoſtienſis Cardinal. error; qui non ad totum corpus Electorale eligendi jus pertinere arbitratus eſt; ſed ad ſingulos ſingulariter. *c. venerabilem extra de Elect. Schönborn. lib. 4 pol. cap. 33.*

54. Objectum Electionis hujus laudabilis eſto perſona ad Imperium evehendum idonea, *cap. 2. §. 2. ad Aur. Bull.* Non igitur Principp. Electores hæreticum aut atheum, veræ religionis fundamenta rejjcientem, proteſtantium pactionibus contradicentem eligant. *Buxtorph. theſ. 30. ad Aur. Bull.*

Laicum non Clericum, cum ad nulla feuda regulariter permittatur, *c. unic. de milit. vaſallo qui arma bellica depoſ.* Germanum non Gallum, aut alium extra Romanæ Curiæ juriſdictionem degentem. *Heig. quæſt. 5. part. 1. Conſultiſſ. Dn. Horniſleder in diſcurſ. ad Schleid. theſ. 26.*

55. Longè hic *Machiavellus lib. 1. diſp. cap. 3.* aberrat, dum ſtrenuò pugnat, non poſſe Rempubl. in ſtatum auguſtum devenire, ſi ſuis tantùm contenta civibus, extraneos nullos recipiat. Reclamant enim huic ſuæ adſertioni jura tùm ſacra tùm profana. Sic ipſe Jehova de Regno ad extraneos non transferendo legem tulit. *cap. 1. & 7. Deut.* Naturalis deinde inter Principes indigenas & ſubditos συμπάθεια & major eſt propenſio. Nec unquam alienigena tantam præſumitur curam habiturus Reipub. atq; inquilinus, quem innatus patriæ amor, ad diligentiam majorem admonet. Nunquam etjam Henricus III. ex Polonia profugiſſet, ſi in Polonia fuiſſet natus; Imò Reipubl. mutatio hoc facilè evincere poteſt, ubi n. mores antiqui in peregrinos mutantur; ibi omninò Reſpubl. evertitur & perditur, id quòd in peregrino metuendum. *Tholoſſan. lib. 7. de Repub.*

56. Cederet demum in præjudicium totius Regni tàm difficilem habere novercam patriam, quæ dignum gubernaculis propriis nequeat producere virum, ita ut opus ſit quærere peregrinum. Quo non inconcinnè Juſtus Lipſius alludit, ut, inquit, in quam domum veſpertiliones veniunt, ſignum eſt funeris; ſic Reipublicæ labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini. Hoc probè Trevirenſis Elector in Electione Caroli V. Anno Chriſti 1519. conſiderans, gemebundus collegas ſuos allocutus eſt hiſce verbis. Certè dolet mihi, inquit, Germaniæ conditio, quod ſi majorum inſiſteremus veſtigiis, nihil opus foret alieno præſidio; nunc autem quando peregrinos evocamus, quid aliud quam ſervitutem nobis comparamus ipſi. *Schleidanus lib. 1. comment. pag. 21.*

57. Inſuper, licet nihil de arcendis exteris Aureæ Bullæ conſtitutio loquatur, antiquiſſimæ tamen legis authoritas, de nullo unquam externo Rege & Principe creando, quam Ottonem III. tuliſſe volunt, obſtat. *Heig. lib. 1. quæſt. 5. Beſold.*

in diſp. nomico Polit. de Succeſſ. & Elect. lib. 2. diſſ 1. n. 6. & ſeqq. Id quod etiam in ambitu Franciſci Primi Galliarum Regis obſervatum eſſe anno Chriſti 1519. *Schleid. lib. 1. comment.* teſtatur.

58. Poſſunt autem Principes Electores non ſolùm Laicum ex collegio eligere; ſed etiam ſi electus ſuâ voce eligentium numerum auget, jure communi non abhorret; quando enim non uni ſoli, ſed pluribus commiſſa eſt electio, tùm quiſque ſuæ electioni conſentire poteſt; quod tamen intelligendum volumus, ſi antea vel pars major in eum conſenſerit; vel ad minimum ſi pars quælibet æqualis fuerit. Ut practicatum legimus de Ruberto Imp. qui cum à Moguntinenſi, Trevirenſi & Colonienſi Epiſcop. fuerit electus, ſibi ipſimet quartum votum dedit, in Electionemque conſenſit, indeq; Imper. creatus. *Dan. Otton. differt. de jure public. cap. 10. pag. 269. & ſeq.*

59. Forma electionis abſolvitur Convocatione, Conductione, Comparitione, Deliberatione ſeu ſuffragatione, Imperii commiſſione, & tandem capitulatione.

60. Antiquitus covocandi poteſtas non ad Moguntinum duntaxat ſpectabat, verùm etiam ad Palatinum ſimul. *Buxtorph. theſ. 17. ad Aur. Bull.* Imò ad totum collegium Electorale, quod vel unà, vel alternis vicib. ad novum Imp. eligendũ convocabat cætera Imperii membra, *Lupold. de Babenb. de jurib. Regn.* Aſt periculo inde ſæpius exorto Moguntino Archiepiſcopo tùm ob ſedis Primatum *Buxtorph. d. l.* tùm ob glorioſiſſimi collegii Decanatum *Joachim. Cluten in ſyllog. rer. quot.* jus hoc convocandi peculiariter factum, *tb. 1. tit. 4. Aur. Bull.* quo jure adhuc hodie utimur.

61. Prædictus igitur Elector cæteros ſuos collegas ſingulos convocet, *tit. 1. §. præterea. tit. 4. §. cæterum. Aur. Bull.* nec conjunctim, ſed ſeparatim ſingulos, & ſic quemlibet in ſpecie, *tit. 7. §. cæterum.* Quod ſi unus prætereatur, quo minùs ad Electionem vocetur, à cæteris ſex factam electionem retractandi licentiam habet. *Petrus de Andlo lib. 2. de Imp. Rom. c. 3.* plus namq; obſtat unius non vocati contemptus, quàm multorum contradictio.

62. De

62. De Rege Bohemiæ an neceſſario citandus ſit dubitatur. Hunc enim de Conſuetudine & praxi ad electionem non vocari, niſi cum vota aliorum ſint æqualia numero, ut controverſiam ſuâ voce dirimat *Schonborn. libr. 5. polit.* & alii permulti ſtatuunt. Verum his non obſtantibus plenarium jus ipſi aſſignamus; præſertim cum nullibi in legibus fundamentalibus ejuſdem Electionis jus & ſuffragium ad caſum ubi duo electi paria habeant vota reſtringatur ad tollendam diſcordiam; nec enim jus eligendi in Aureâ Bullâ ei conceſſum modò eſt; ſed & conſtitutione Ruperti Vicarii & Rudolphi I. diſertè confirmatum. Imò & antè Aur. Bull. ſemper purum votum habuit. *Ampliß. Dn. D. Arumæus in jure pub. diſc. 9. pag. 123.* Non igitur noſtrum erit, in illius præjudicium idem arctare, cum ſine lege loqui erubeſcamus. *Novell. 18.*

63. Præterea ſi praxis illa & conſuetudo veritati correſponderet, Maximilianus I. non proteſtatus, nec arma minatus eſſet, nec pœnam in Aur. Bull. definitam (500. marcar. auri) Electoribus infligi voluiſſet, dum Ladislaum Regem Bohemiæ in Electione ſuâ prætteriebant, nec acquievit, niſi novis pactionibus & transactionibus ipſi præſtitis, quarum tenorem videre licet apud *Goldaſt. tom. 2.* Reichsſatzung. *pag. 178.* Nec plurimum obeſt articul. 53. l. 3. Juris Sax. in verbis **Der Schenck des Reichs hat kein Wahl/ darumb daß er nicht teutſch iſt.** Vocatur enim nobile membrum Imperii in ipſa conſtitutione Carolina. Etenim, cum tales Reipub. præficiuntur, qui non ſunt nobiſcum in communi patria nati tunc propter certas rationes ſanguinis eſt habenda ratio. Id quod Germani Principes in Electione Caroli V. laudabili more obſervabant. Licet enim Carol. V. non in ſuperiori ſed in inferiori, hoc eſt, Belgio, natus ſit, tamen quia natus fuit ex Germanicò ſanguine, habitus fuit pro Rege Germano ratione originis. Idem judicium de Rege Bohemiæ eſſe putamus.

64. His poſitis, conſequens eſt, Bohemum Regem de jure ſemper ad actum Electoralem eſſe vocandum. Conceſſo enim nomine, concedatur etiam officium, quia Electoratus & munera, quibus funguntur Electores, nexu junguntur adamantino, nec unum ab altero ſejungi & ſeparari

poteſt.

poteſt. *Knichen in jus Saxon. c. 1. n. 216.* aliàs votum ejus non tàm erit electio, quàm electorum diſſentientium compoſitio, inſtar judicis partes componentis, id quod Aur. Bull ſummè contrarium. Nomen etiam ab omnibus conceditur. E. & officium.

65. Ulterius convocandi ſunt Coelectorales literis patentibus per nuucios *tit. 1. §. cum autem. tit. 4. §. quotiens. Aur. Bull.* quæ tempus, nomen tùm citantis, tùm citati, locum & cauſam contineant; quod in omni citatione obſervandum. *Robert. Marant. de citationibus ejusq; requiſitis. n. 63. Geil. lib. 1. obſ. 49. n. 5.* Ut videlicet à die in literis nominato infra tres menſes continuos omnes & ſinguli Francofurtum ad eligendum Cæſarem compareant, §. Auch ſetzen vnd ordnen wir. *tit. 1. Aur. Bull.* Et hoc tempus cum ſit legale. *l. 4. §. ſi quis. ff. de re judic.* nec prorogandum nec abbreviandum, quo omnes quos adeſſe oportet infra tempus tàm auguſtum comparere poſſent. *Schleidan. lib. 7. comment.* Si negligentiæ vitio Decanus in officio exequendo fuerit notatus, proprio motu, quamvis nondum accerſiti, reliqui conveniunt Electores. *tit. 1. Aur. Bull.*

66. Convocatis Electoribus Principum Comitatus & ſalvus conductus, tanquam munus perſonale Imperio debitum, ſub gravi pœnâ eſt præſtandus, *c. 1. Aur. Bull.* Idem facere tenetur civitas Francofurtenſis, quæ Electores unà cum Comitatu ſub juramenti religione defendere tenetur & obligatur, *§. injungimus. §. cum inſuper. t. 1. Aur Bull.* ſi minus omnem gratiam, privilegiorumq; conceſſionem penitùs amittit. *d. §. injungimus.*

67. Promiſſo ſalvo conductu, terminoq; in literis patentibus finito; regulariter compareant omnes, vel ipſimet *c. 1. §. præterea.* certo & præſcripto comitatus numero 200. utpote Equitum inter quos ſint 50. armati, non plures. *§. d.* vel juſto impediti, legales nuncios plenâ & omnimodâ poteſtate conceſsâ mittant. *Buxtorph. concluſ. 22. ad Aur. Bull.* ſi ſecus fiat, pro vice iſtâ voce & jure electionis careant. (intellige ſi ſint vocati & deſeruerint vocationem) *tit. 1. §.* Vnd welcher Churfürſt zu ſolcher Wahl.

68. Ci-

68. Civitatem ingreſſis, factoq́, ampliſſimo conventu, ſtatim ſubſequenti diluculo in Baſilica D. Bartholomæi preces peraguntur, quibus Spiritus ſancti auxilium imploratur, ut hominem bonum, juſtum, & utilem in Regem Romanorum eligere valeant. *tit. 2. in princip. Aur. Bull.* His abſolutis Electores coram Evangelio S. Johannis de Rege Romanorum in Cæſarem promovendo. *d. t.* Præſtito juramento, diligenter deliberant, eligentisq́; qualitates ſedulò & accuratè inquirunt; quibus requiſitis, vota & ſuffragia Collegii Decanus colligit, cæteri tandem ipſius Decani votum viciſſim perſcrutantur, *tit. 2. c. 4. Aur. Bull.*

69. Quæ omnia perficienda voluntate liberrimâ ſine fuco, prece, nec pretio interveniente; puras enim manus eligentes habere debent, *l. omnes. 3. l. ſancimus. 6. C. ad L. Jul. repetund.* Ac proinde precium accipientes jus eligendi amittunt. *Simon. Piſtor. conſil. 1. n. 30.* Nec exeant civitatem niſi unanimiter conſpirârint, dignisſimumq́; Romanæ Politiæ caput conſtituerint, quod ſi diſtulerint ultra 30. dies, pane & aquâ tantum alendi, donec conſentiant in unum. §. Wo ſie aber verziehen. *tit. 2. Aur. Bull.*

70. Omnibus his neceſſariis abſolutis, Collegii Decanus in æde D. Bartholomæi electum Regem Imperatorem proclamat, gratiasq́; Deo pro concordi electione agit. *Schleidanus lib. 1. comment. p. 26.* Priuſquam tamen Imp. planè recipitur, Imperium Romanæ curiæ ipſi committitur, id quod fit, non abſolutè propter Germaniæ libertatem, *Schleidan. d. l.* ſed reſtrictivè; h. e. certa ipſi præponitur formula, quam Capitulationem dicimus, ob certa quædam capita. *Conſultiſſ. Dn. Fridericus Hordleder in diſcurſ. 26. ad Schleid.* ex quibus univerſo Imperio obligatur, & ſecundum quæ adminiſtrationem Imperii inſtituit; id quod manifeſtius ex ipſo contextu Juris Saxonici *l. 3. art. 54. eluceſcit in verbis:* Als man den König wehlet/ ſolte er dem Reich Huld thun vnd ſchweren. *Schönborn. lib. 5. polit. c. 8. Heig. part. 1. quæſt. 4.* Capitulatione propoſitâ, procerum, imò omnium ſtatuum jura & privilegia abſque contradictione confirmare tenetur. *Buxtorph.*

th. 27. ad Aur. Bull. His confirmatis & ipſi fides repromittitur; Rexq; Romanorum ſolemniter ſalutatur. *tit. 2. § poſtquam*.

71. Ex quibus indiſtinctè aſſeverandum, formulam hanc, cum ſit communis Reipub. ſponſio, clauſulis derogatoriis confirmata & munita, nec tollendam eſſe, nec mutandam. *arg. l. nemo poteſt. ff. d. ll.* hâc enim ſublatâ, ſalus & ſtatus Reipub. everteretur. *Heig. part. 1. quæſt. 5.*

72. Ut enim majeſtas Imperatoris ſine armis, ita neq; ſine legibus tuta ac firma eſſe poteſt. Etenim hæ majeſtatem conſervant, reſtringunt, eandemque dirigunt, tùm quoad regni commiſſionem, tùm ad ejuſdem adminiſtrationem *Chriſtianus Matthias polit. lib. 3. exercit. 2. ſect. 2. fol. 323.*

73. Igitur non modò operam, ſed & oleum omne ſuum conſumit Bodinus, Monarchiam propterea nobis denegando, quaſi certis ll. ſuperioris noſtri authoritas & poteſtas eſſet reſtricta, *lib. 1. de Republ. c. 8.* Cum nec Ariſtocratica conſilia & conſenſus, quibus tanquam remigiis Imperii navis adjuvatur, Monarchico clavo quicquam detrahant, *l. humanum. 8. C. de ll.* neq; poteſtatis Monarchicæ authoritatem legum cancelli imminuunt, ſed potius condecorant, & augent. *l. digna vox. 4. C. d. ll.* Hoc ipſum vel ex ipſius Bodini ſententia evincitur, qui Gallicum Regnum abſolutè contendit, *lib. 2. de Republ. c. 9.* quod tamen nunquam abſolutam & ll. ſolutam poteſtatem Regibus conceßit, ſed tùm conſiliis, tùm conſenſibus Comitiorum conventuum & Parlamentorum, Pariumque Franciæ gubernationis Regiæ curſum temperavit, *Hottom. de antiquo jure Gallico cap. 6. 7. 14.* Nec hodiè datur Reſpubl. ulla, quæ certis ll. fundamentalibus & capitulationibus non aſtringitur his enim tanquam fundamento innititur Reſpubl. quo ſublato, ipſa Reſpub. corruit. *Danæus lib. 3. pol. Chriſtian. c. 6.*

74. Conſideratis hactenus iis, quæ ad Imperii commiſſionem ſunt neceſſaria, breviter etiam ea, quæ ad Imperii dignitatem & actum externum duntaxat faciunt, conſideranda occurrunt. Talia autem ſunt Inauguratio. Equitum creatio. Convivia. Fauſtæ acclamationes, & hujuſmodi ſimilia, quæ ſingulariter legenda apud *Goldaſt. part. 1. 2. 3. pol. Imp.*

75. Inauguratio pro diverſitate populorum diverſa eſt. Olim in V. T. Reges uncti ſunt mandato Jehovæ ex cornu oleo conſecrato repleto. Quomodo David à Samuele unctus legitur *libr. 1. Samuel. cap. 16. v. 13.* Oleo autem uncti ſunt, quia Reges V. T. typi Chriſti erant, qui à Spiritu S. oleo lætitiæ eſt unctus præ conſortibus ſuis, *Pſalm. 45.* Ex cornu verò uncti ſunt, quia cornu Regni fuit typus, ſicut videre eſt apud *Daniel, c. 7.* Hodiè verò actus Inaugurationis conſiſtit in Coronatione, quemadmodum paucis ab hinc annis Matthias I. Imperator Germanorum Francoſurt. in æde D. Barthol. coronatus legitur.

76. Prolixiores eſſemus, ſi cæteras ad Coronationem neceſſarias ceremonias pertractaremus; Ideoq; ad poteſtatem Electorum extra Imperetoris Electionem nos conferamus.

77. Eſt autem inſignis Principp. Electorum extra Electionem poteſtas & authoritas, cùm non modò pro eligendo Rege vel Romano Imperatore comitia indicere habereq; poſſint, tùm alios etiam pro ſalute & incolumitate Imperii congreſſus celebrare queant, *tit. 12. Aur. Bull.* Idq; ſine ulterioris veniæ impetratione *Joachim. Cluten. in ſyllog. Schonborn. pol. c. 33.* quod jugiter hactenus ſervatum, fraternâ Electorum unione conſervatum *Goldaſt.* in Politiſchen Reichshendlen. *part. 8. c. 3.* ſolemniq; ſtipulatione Ann. 1558. inter Ferdinand. Imp. & Electores, contracta confirmatum in verbis. Wir laſſen auch zu/ daß die gedachte Churfürſten ehe zu Zeiten / nach Vermögen der güldenen Bull/vnd jhrer Gerechtigkeit/des heiligen Reichs/ zu jhrer Notturfft/ zuſammen kommen mögen.

78. Aſt cæterii Imperii Principes nec quicquam de ſublimi hoc jure participant. *Bocerus de jurisd. c. 8. n. 76* Idq; ex conventu Norinbergenſi Anno 1524. manifeſtius elucet. Ubi Carolus V. non injuſtè Germaniæ Principes accuſavit, ob novum conventum, intermiſsâ Imperatoris authoritate, Spiræ indictum. *Schleidanus lib. 4. comment.* Tantoq; major in eo Electorum prærogativa & dignitas apparet, quantò minus reliquis Imperii ſtatibus regulariter ullam congregationem celebrare licet, *l. 15. C. de Epiſc. l. 5. C. de his qui ad Eccleſ.*

79. Præterea ne ſplendori hujus collegii quidquám de-

ſit,

ſa, non ſolùm hoc jure(indicendi nimium conventus) ſed ſingulariori inſuper præeminentiâ ſinguli ſunt condecorati Electores; dùm nullus, cujuscunq; etiam ſtatus & conditionis ſiet, ipſis vel eorum alicui in actibus ad curiam ipſam ſpectantibus eundo, ſedendo, vel ſtando præferendus neutiquam ſit. *tit. 6. Aur. Bull.* quamvis Cardinales ſint, aut Reges, *tit. d.* (intellige in Curiæ celebratione) quam præeminentiam, cum ita ex longâ conſuetudine, quæ omnium rerum Magiſtra & domina, *Gell. 12. noct. Attic. 13.* ac ubivis inſpicienda *l. imperat. ff. de contra. empt. l. minimè. ff. de ll. l. planè. ff. de excuſ. tutor.* obtinuerint, eam citra ambitum, cum laude defendunt. *Menoch. conſ. 15. n. 3.*

80. Habent adhæc jus Salinarum, fodinarum, & argentariarum *tit. 9.* quoad decimam abſq; onere, *l. cunctis. l. quosdam C. de metall.* Idem jus monetarum cudendarum, *tit. 10. Aur. Bull.* cudant tamen monetas ponderis debiti & probæ ſpeciei *l. 1. C. de veter numiſ. poteſt.* Actus deniq; judiciales eodem modo quo Imperator exercent; cauſas ſine ulteriori appellatione cognoſcunt & dirimunt. *Weſenb. in v. a quibus provocari non liceat.* Hoc privilegio olim ſoli Præfecti Prætor. gaudebant. *l. unica. ff. de offic. præt.* His, cum æquiparentur Electores. *Heig quæſt. 4. n. 14.* ad eorum quoq; exemplum Aur. Bull. conſtituit, ne & ab ipſorum ſententiis appellaretur, quamvis privilegium hoc de non appellando Saxo tantùm & Brandenburgicus Elector in viridi conſervârint uſu. *Heig. d. quæſt. part. 1. l. 37. C. de appell.*

81. Hæc cum in ſignum præeminentiæ Electoribus ſint data & conceſſa, iis privati renunciare non poterunt, *l. 2. §. 4. C. de jurejurand. propt. calum. dand. l. 38. ff. de pact.* Nefas igitur ſubditis territorii Saxon. ut & alterius, aliena tentare judicia provocando, eſto. Nec cuiquam eorundem Electorum ſubditos ad aliud tribunal evocare conceſſum, ſed ſemper ſuis propriis & ordinariis judicis ſunt relinquendi. *tit. 11. Aur. Bull. cap. 8. ibid.* Intellige in caſu adminiſtrati juris & juſtitiæ, quâ neglectâ, omninò evocatio & provocatio licita ulterior, *§. in defectum. tit. 11. Geil. lib. 2. obſ. 135.* Aut ſi cauſa conventionis non fundet Electorum jurisdictionem forum aliud detur;

tunc non obſtante hoc privilegio in eo conveniendi erunt. Sic ſubditi Electores vaſalli coram domino conveniuntur, à quo feuda habent. §. *fin. verſ. præterea. de prob. feud. alien.*

82. Tanto denique privilegio eminent, ut qui auſit ipſorum placita in dubium vocare, ſacrilegium committere dicatur, *l 3. C. de crimin. ſacrileg.* Aut de nece eorundem cogitarit, majeſtatis reus, gladio feriatur, & omnia ejus bona fiſco Imperiali addicantur, ut expreſsè in *tit. 24. A. B.* ſancitum legimus; hâc ratione additâ; nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt &c. Eo modo Arcadius & Honorius Impp. graviſſimâ Majeſtatis pœnâ, non modò ſuam, ſed etiam ſuorum conſiliariorum virorum illuſtrium ſalutem muniverunt.

83. Nec tantum effectus punibilis, ſed & conatus & voluntas, *l. quisquis. C. ad L. Juliam majeſt. tit. 24. Aur. Bull.* Si fuerit externè declarata. *l. cogitat. 18. ff. de pœnis.* Nec dubio caret, quin pœna hæc indiſtinctè in Electorum violatoribus ſtatuatur. *Heig. p. 1. quæſt. 27. Weſemb. in inſtit. de pub. jud.* quo refertur tit. 24. A. B. qui non diſtinguit, Ergò nobis quoque non erit diſtinguendum, an odio Imp. lædantur, an minus *l. 18. ff. de pub. in rem. actionibus. l. 3. in fin. ff. de officio præſ.* videndum itaq; quid hoc in genere ipſi Impp. ſenſerint.

84. Reſtat nunc ut de Vicariis propriè ſic dictis paucis diſſeramus. Quotiens igitur ſacrum contingit vacare Imperium, ſive fiat hoc morte, reſignatione, depoſitione, aut neceſſariâ Cæſaris trans alpes profectione, Wenn er aus dem Reich iſt/ oder vber Berg zeugt. Ejus proviſores duo tantùm Principes Electores conſtituuntur. Utpote Comes Palatinus Rheni; & Dux Saxoniæ, qui æquali poteſtate præſunt, donec reportetur aut alius eligatur Imperator; Ille quidem in Tractu Rhenano & Suevico; hic verò in tractu Saxonico, ubi jura Saxonica tractantur & obſervantur. *tit. 5. A. B.*

85. Unde Jurisdictionem & adminiſtrationem Imperii habent omnimodam, gladii poteſtatem, imperium merum mixtumque, ad Eccleſiaſtica bona præſentant, *tit. 5.* Reditus & Imperii proventus recolligunt. *d. l. de feudis minorib.* inveſtiunt, tabelliones & Comites Palatinos creant. *Matth. Steph. de jurisdict. lib. 2. pol. part. 1. c. 5. n. 76.* ſpurios & baſtardos legitimant,

gitimant, infames ad famam priſtinam reſtituunt. *Lupold. à Babenb. de jurib. reg. c. 7.* Omnia deniq; peragunt, quæ ipſe Imperator, cujus perſonam repræſentant; niſi ſpeciali reſtrictione ſint prohibita, *l. 2. C. de officio. ejus qui vicem alt. l. 1. §. 2. ff. de legatis. 3* Quorum in numero ſunt reſervata, Principis feuda Regalia *Fahnlehn*; horum inveſtitura & collectio ſoli Imperatori cum ſit reſervata; Electorum poteſtas in illis deficit. *tit. 5. Aur. Bull. Buxtorph. th. 62. ad Aur. Bull. Vaſquius q. illuſt. lib. 1. cap. 22.*

86. Tandem ſingulariori adhuc privilegio Comes Palatinus in eo cohoneſtatus videtur, dum Cæſaris eſt judex, coram quo in judicio ſtare & reſpondere tenetur. *tit. 5. Aur. B. in fin.*

87. Non autem eſt, quod propterea Bodinus, imperitus rerum Germanicarum æſtimator, uti eum vocat Nobiliß. Dn. Paurmeiſter. glorietur Imperatorem noſtrum non eſſe Monarcham, quia alterius judicio ſit ſubjectus, *libr. 2. de Repub. c. 6.* Etenim licet cauſis quando à ſtatibus imperii convenitur, coram Electore Palatino, tanquam judice ſuo ordinario reſpondere cogatur; id tamen majeſtatem ejus non imminuit, ſed felicitatem Imperii promovet, *l. 8 C. d. ll.* naturaliq; æquitati, tùm civili honeſtati, aliorumq; regnorum moribus concinnè congruit. *Buxtorph. in concluſ. ad A. B.* Nec vera omnimodò eſt propoſitio Bodini; non enim qui judicio civili alterius eſt ſubjectus; inferior ſtatim eſt eo à quo judicatur; cum conſuetudo in imperio Romano obtineat hæc, ut ſi quis major, vel æqualis alterius Juriſdictioni ſe ſubjiciat, poſſit vel ei, vel adverſus eum jus dici. *l. 14. d. juriſd.* poſtea limitanda iſthæc Galli præpoſtera opinio; dicitur enim quis alterius judicio ſubjectus vel *Ordinariè* & ex neceſſitate quo modo utiq; inferior eſt judice is, à quo judicatur, uti exempla *in l. 4. ff. de recept. qui arbit. recep. ut ſent. dicant. l. 58 ff. de judic. arguunt.* vel extraordinariè & voluntate liberali, ſic v. nullatenus, id quod in præſenti caſu de Imp. noſtro auguſtiſſimo ſtatuendum.

88. Pari modo Electores Saxoniæ coram ſupremâ Electorali Lipſienſi Curia, de bonis & reditibus ærarii ſive cameræ conveniri

conveniri poſſunt; nequaquam interim hic inferre quis poteſt, curiam illam Electoralem Sereniſsimo Electore ipſo ſuperiorem eſſe. Sic Reges Hiſpaniæ in conventibus triennalib. jus dicunt, ſibiq; viciſſim jus dici patiuntur, *Steph. Jun. Brut. adv. tyran. in repet. ad quæſt. 6.* Imò qui caput eſt Bodini (Rex Galliæ ſcil.) judicio Parlamenti Pariſienſis ſeſe ſubjicit, nec tamen eo eſt inferior. Ex quibus manifeſtum, Bodinum, Imperii Romani oſorem & roſorem, nihil unquam effeciſſe contra majeſtatem & poteſtatem Imp. noſtri ſentiendo, & diſputando. Faceſſant etiam omnes illi, qui ejuſdem poteſtatem ad tenorem obſoletæ legis Regiæ perpedunt, næ perinde faciant

atq; *Cervino capiti cervicem pictor equinam*
Jungere ſi velit.

SONNET.

Sur la diſpute da monſieur Volff du Pays de la Marche ſouſtenne en la fameuſe Academie de Jene ſoubz la conduite de tres docte jeune homme monſieur Beindorff du Pays de Saxe.

PEndant que le sol eil de ses Regons dorees
Seillonnant ce bas val faict sortis maintes plantes,
Qui produiſſent des fleurs de couleurs bigarrees,
On veoit les mouches a miel de tout coſtes errantes
Cueillant averement les plus douces fleur ettes
Dont elles vont baſtir ceſt e liqueur ſi douce:
Ainſi faicts tu o Volff imitant les avettes.
Car Je te veoy errant, & dune vive force.
Tu cueilles en tous autheurs ce que plus on eſtime
Et ne te ſuffit pas ſcavoi ce quont eſcript
Pluſieurs autheurs latins, mais tu veux que ta lime
S'en aille auſsi limant ce que france à produit.
Tu monſtre en ce faiſant l'ardeur de ton courage
Qui ne ſe peut laſſer apprenant maint lanq age.

Franciſcus Raſſent Gallus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

DISC. III.